


**05  
A  
1442**



215.

diss. 20

Σὺν τῷ θεῷ

Exercitatio Moralis

*De*

# VIRTUTIBUS HOMILITICIS,

*Quam,*

In Alma Wittebergensium Academia

Sub PRÆSIDIO

*Reverendi admodum, Clarissimi arg. Excellentissimi Viri*

## JOHANNIS SCHARFFII

ss. Theol. Licent. Logices, Metaphysices nec non Moralium Prof.

Publ. Celeberrimi, Præceptoris & Promotoris sui  
æternū colendi,

*Publicè suūtate subjicit*


## MARTINUS GRÆFFENTHAL

Wittebergensis.

*Ad diem 19. Februarij*


In Auditorio Majori

*Horis antemeridianis.*



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.  
Anno MDC XXXX,



VIRIS

Plurimū Reverendis, Amplissimis, Clarissimis atq;  
Excellentissimis

Dn. Paulo Röber SS. Theol.

D. & Prof. P. Pastor & Superintendenti in Circulo  
Elect. Generali Vigilantiss. ut & Consiliorij Eccle-  
siastici Assessori optimè merito:

IV

Promotori-  
bus ac Patro-  
nis meis  
Summis:

Dn. Johanni Hulsemanno

SS. Theol. D. & Prof. Publ. famigeratissimo, nec non  
Alumnorum Elector. Inspector gravissimo:

Dn. Jacobo Weller SS. Theol. D.

eiusq; Extraord. & Ling. Orientalium Ordin. Prof. Publ. celebra-  
tissimo, nunc vocato Ecclesiarum Brunsvicensium Coadjutori Iona-  
gè dignissimo, Vitrico meo, ut germano planè Pa-  
renti, æternū colendo:

Dn. Johan-Erico Osterman-

no Græcæ Linguæ Prof. Publico celeberrimo:

Ac

Clarissimo & Amplissimo

Dn. Michaeli Kletten; hacte-

nus Fisci Academici Procuratori fidelissimo, nunc ve-

ro Quæsturæ Bitterfeldensis Præposito:

Disputationem hanc Ethicam.

In debitæ gratitudinis documentum,

Et ulterioris benevolentiae incitamentum

humillimè offero & dedico

Martinus Græffenthal Witteberg,

Autor & Respondens.

Tutoribus ac  
Promotori-  
bus meis ho-  
norandis:



OS A 1442



Σὺν τῷ Θεῷ,

de

## Virtutibus Homiliticis, Humanitate, Urbanitate & Veracitate.

### Proœmium.



Elineabo breviter virtutes homiliticas, quæ statem juvenilem decent præcipue, & cam juxta informant. Etenim Musis jungendæ sunt Charites. Dum operam damus ijs artibus, quæ humaniores vocantur: etiam unâ studendum erit, ut mores ac sermones nostros tergeminus ille Gratiarum chorus assiduè comitetur. Homines sumus ad omnia quasi nati, ut, quantum per honestatem fieri posse est, conversationem evitare haut possimus. Imprimis vero humanioribus litteris de diti has virtutes suo quodam jure proprias sibi vendicant; qui propterea etiam ab Aristotele, καριετές gratosi: à Tullio Humani appellantur, propter singularem morum facilitatem, qua ceteros antecollunt, juxta illud Ovidij lib. 2. de punto, Eleg. 9.

*Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes  
Emollit mores, nec sine esse feros.*

Tractabo vero banc materiam ea methodo, quæ vulgaris est & trita satis, ita nimirum, ut quarumlibet harum virtutum considerem I. Definitionem. II Objectum. III Extrema: Hisq; ab solitis annexam questiones nonnullas, quæ buc referri posse proprie videntur.

Sit igitur cum bono Deo

A 2

MEMBRUM

# MEMBRUM PRIMUM

## de Humanitate.

### Thesis 1.

Humanitas est virtus moralis mediocritatem observans in iis, quæ in conversatione seria accidunt, ne aliquis præter meritum offendatur, sed potius oblectentur omnes.

Εἰδεσις.

§. 1. Virtutes, quarum indolem paucis explorabo, convenienter dicuntur ὁμιλητικαὶ, ab ὁμιλεῖν quod est conversari, propterea quod in congressu quasi positæ sunt, & omnium converstantium cùm sermones cum actiones informant.

§. 2. Tametsi aliqua similitudine inter se connectantur, differunt tamen ratione finis, quem sibi habent propositum. Una enim illarum versatur περὶ τὸ αἱλῆσ σὲ λόγοις καὶ περίεστι h. e. circa id, quod in sermone & actione verum est, atq; ea nominatur veracitas: Duæ verò reliquæ spectant τὸ ήδυ, jucundum, idq; vel in conversatione seria, veluti est humanitas; vel in jocosa, cuiusmodi urbanitas est. Aristot lib 4. Ethic. ad Nicom in fin. c. 8.

§. 3. *Humanitas*, à quibusdam comitas, affabilitas, popularitas dicitur. Græcè non inconvenienter dici potest εὐεργογορία & φιλοεργογορία. Aristoteles nullum ei proprium nomen inventire potuit. l. 4 Ethic. c. 6. Quoties enim de hac virtute agit, φιλίαν eam impropiè vocat, sive quod humanitas similis amicitiae maximè videtur, sive quia facillimè eandem conciliat. Quippe ut Tullius ait lib. 2. Offic: difficile dictu est, quanopere conciliet homines comitas affabilitasq; sermonis.

§. 4. *Virtus moralis* est. Quanquam enim naturalis quædam inclinatio & promptitudo ad observanda ea, quæ objiciuntur, in homine reperitur, quam alij inchoativam humanitatem appellare solent: perfectio tamen & complementum usui debetur, & crebris exercitiis, atq; ita habitus virtutis exoritur.

§. 5. Formalis ratio, ut omnis virtutis, ita etiam humanitatis consistit in mediocritate, sive in modo legitimè & decenter circa res versandi, quæ sese indifferenter habent. Differentia, quâ una virtus

virtus ab altera distinguitur, desumitur ab objecto. De quo in sequenti thesi.

*Thesis 2.*

Objectum humanitatis sunt dicta & facta, quae oblectationem vel etiam offenditionem afferunt in conversatione seria.

*Ex Ier. 15.*

§. 1. In hoc objecto dirigendo quomodo mediocritas recte observetur, atq; inde officium viri humani bene intelligatur, Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 6. distinctis præceptis docet.

§. 2. Primum est: Vir humanus operam dabit, ne quem dictis aut factis offendat, ac potius eos, cum quibus conversatur, honestè oblectet, ad duos fines, τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον, actiones suas referens. Unde Antalides rogatus à quodam, quo pacto maximè quis posset placere hominibus, si, inquit, loquatur illis jucundissima, præfet autem utilissima. Hac virtute claruit Trajanus, qui Nerva successit. Ille officiis, humanitateq; imperatores omnes antecessit. Amicis aliquando culpantibus illum, quod nimis circa omnes comis esset: respondit, talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperator privatos optasset, ut refert Domitius Brusonius l. 3. c. 4. p. 296.

§. 3. Secundum est: Vir humanus si familiarem suum videat delinquere circa bonum vel morale vel utile, modestè admoneat eum, ut aliam ineat viam res suas disponendi. Nam propter voluptatem majorem subsecuturam vir comis proximum suum pavillum offendet. Aristot. lib. 4. c. 6. Sic narrat Laert. lib. 7. Zenonem Cittensem, cum in convivio quodam observasset, quendam obsonia omnia immoderatius devorantem, nec quicquam aliis reliquum facientem, pisces ingentem, qui apponebatur, è patina sustulisse, quasi solus eum devorurus esset. Tum alter intuens Zenonem, significabat se minari ejus impudentiam: cui Zeno placide respondit, quid, inquiens, putas convictoribus: uis accidere quotidiè, si meam opipbagiam ferre non potes? Hinc etiam Cicero in Alexio inquit; molesta est veritas, quia parit odium, sed obsequium, multo est molestus; quod peccatis indulgens precipitem amicum fieri finit.

A 3.

§ 4. Ter-

§. 4. Tertium est : vir humanus habeat rationem personarum, cum quibus conversatur, ut singularis pro statu & conditione tribuat id, quod ipsis maximè convenit. Ubi utile fuerit Epicteri consilium tenuisse, qui superiori auscultandum & obtemperandum, equali consentiendum, minori modestè suadendum esse monebat, ut Stobæus serm. 3 de temperantia refert. Hinc etiam Pythagoras non exiguum laudem meruit, quod cum pueris puerili, cum mulieribus muliebri, cum Principibus item congrua ac fortune insorum apta oratione usus fuerit, Teste Cælio Rho. dig. lib. II. antiqu. lect. cap. 7 p. 405.

Thesis 3.

Humanitati in excessu opponitur assentatio: in defectu morositas.

Eugenius.

§. 1. Assentatio est, qua quis alteri præter honestatis rationem in omnibus placere studet, idque vel simpliciter absque spe commodi, quæ ἀρέσκεια dicitur & simplex placendi studium. Vel ita, ut queratur simul lucellum aliquod, quæ appellatur κολανία, adulatio seu parasitatio. Aristot. lib. 4 Ethic. c. 6.

§. 2. Scilicet sicut Polypus induit colores omnium, ad quæ appulerit locorum, ita & adulator ad omnium nutum se attemptrare studet; qualem in Eunicho, act. 2. scen. 2. depingit Terentius:

Est genus hominum, qui esse se primos omnium rerum volunt, nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant; sed his ulro arrideo, & eorum ingenia admiror: simul quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoqz: negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi egomet mibi, omnia assentari, is quæstus nunc est multo uberrimus.

Sic vivam adulatoris ideam repræsentat & Artotrogus, qui militi Plautino, cum assentaretur, diceret qz septem milia hominum uno die ab illo esse casu: subdidisset qz miles, & depol memoriam es optumam: festivè respondit, offa me monet. Plautus in milite glorioso actus I. Scen. I.

§. 3. In defectu peccat δυσκολία, quando quis in rebus etiam honestis

honestis nemini placere studet, sed aliorum dicta & facta reprehendit, & per rixas & contentiones suas interturbare solet familiares congressus. Ob hoc vitium male olim audiebat Nero, quem adeo morosum ac difficultem fuisse refert Xiphilinus in Nero: ne, ut negat cum servis, negat libertis hominibus sermones conferret, sed omnia quae vellit mandare, in libello scribere consueverit.

§. 4. Huc refertur & *μιτρανθεωπία*, qua quis penitus abhorret ab hominum societate. Cujus generis fuit *Timon Aheniensis*, ob morum asperitatem ab Antiquis inhumanus appellatus, de quo Plutarchus commemorat in vita Antonij, quod tanto fuerit odio aduersus homines, ut consenso suggestu in publica concione edixerit, superesse in fui... suo sicutum, ex qua multi Arbeniensium fecerint penitiles: jam verò eam excisum iri. Maturarent ergo suspedium, si qui adhuc eo animo essent homines, priusquam excisa arbore occasio ipsis præriperetur.

### Quæstiones.

#### Quæstio 1.

An virtutes homiliticæ in virtutum numero habendæ sint?

R<sup>2</sup>. Aff. 1. Quia hisce tribus homiliticis competit definitio virtutis à Philosopho lib. 2. c. 6. Ethic. tradita. 2. Quia consistunt in mediocritate, quæ est forma virtutis; id quod probatur extremis. Ubi enim extrema, quæ vituperantur, ibi quoq; datur medium. Sed in vitæ congressibus dantur extrema vituperatione digna: igitur concludit ipse Aristot. dari etiam μέσην τέτον τέλειον, quæ videlicet efficitur, ut unusquisque & quæ oportet, & si-  
c ut oportet vel admittat, vel gravatè ferat. lib. 4. Ethic. c. 6. Quod ex parte hactenus vidimus, & de ceteris etiam sequentibus virtutibus paulò post dispiciemus. 3. Quia ex mentis iudicio, volunta-  
te, consultatione & præelectione flunt, quæ principia virtutis sunt, ut habetur lib. 3. cap. 2. seqq. Ethic.

#### Quæstio 2.

An in conviviis sit disputandum?

R<sup>2</sup>. Singularis prudentiæ symbolum est, tempora loquendi & silendi observare. Hoc ipsum vir humanus in conviviis, quæ conversationis gratiâ instituuntur, cumpromis notare debet. Nam  
benē

benè olim *Iosocrates*, referente Macrobio lib. 7. Sat. cap. 1 p. 502.  
rogatus in convivio, ut eloquentiam suam probaret, respondit:  
*quæ præsens locus & tempus exigit, ego non calleo: quæ ego calleo,*  
*nec loco præsenti sunt apta, nec temporis.* Quibus inuenere voluit,  
omnia convenienti loco & tempore fieri debere. Igitur in ejus-  
modi colloquiis, quæ inter pocula instituuntur, vir comis respi-  
cere debet.

I. Personam, cum qua disputat. Si enim modestia illius nota  
est, tutò cum ipsa conferre potest.

II. Convivas. Si sunt peregrini, Senes, viri doctiores aut gra-  
viores, turpe est ad actum disputandi protumpere: inter notos  
autem & æquales res aliter se habet.

III. Materiam. Res enim Theologicæ, & quæ salutem ani-  
mæ vel etiam Reipublicæ concernunt, non sunt assumendæ, nec  
eæ, quæ sine odio assidentium proferrinequeunt. Sed quæ uti-  
litatem cum jucunditate, & hanc cum facilitate conjunctam ha-  
bet, nec non ex medio conversationis actu potissimum desumpta  
est materia, adhibenda censetur.

IV. Modus disputandi: ut ne quis explorandæ eruditionis  
gratiâ & animo offendendi, quo modo in conviviis nihil mole-  
stius est, sed provocandæ hilaritatis causâ & recreandi studio ami-  
cè & placide differat & colloquatur.

V. Tempus. Nam initium convivij taciturnitatem, finis salu-  
britatem, medium vero honestas dissertationes requirit. His ob-  
servatis certis circumstantiis, negare quis non potest; quin in fa-  
miliaribus conviviis quandoq; placidus discursus & amica possint  
institui colloquia.

### Quæstio 3.

An vita solitaria Monachorum, & facta Carthusiano-  
rum, qui se invicem non alloquuntur, neq; etiam alios,  
sed signis & nutu omnia peragunt, sint licita, & cum vera  
humanitate consistant?

R. Neg. I. quia Monachorum vita & factum naturæ bellum  
indicit, quæ ad societatem proclivis est, unde etiam homo naturæ  
*ζῶος πολιτικὸν* est, teste Aristot. lib. 1. pol. cap. 2. & Scaligero lib.  
4. Poët. p. 470. Homo dñs τῷ ὄμως, quippe qui sit anima sociabile,  
descendit.

II. Quia

II. Quia ipsorum vita ad nullum vitæ genus reduci potest. Non ad Ecclesiasticum, ut Doctores Theologæ probant. Non ad politicum, quia in nulla Republica sunt. Nec ad oeconomicum; quia nullam fovent familiariam.

III. Quia aliis consilio & salutaribus monitis succurrere nequeunt, dum sermonis usum, qui tanquam amicitiæ vinculum à naturâ unicuiq; inditum est, cohibent. Bene olim Diogenes Cynicus dixit: *verba oportunè prolata esse velut poma aurea in argentea patina.* Igitur dum Monachi hac etiam ratione humanam planè exuunt naturam, nomenq; hominis deponunt, vitam ipsorum factumque illud penitus illicitum minimèq; probandum esse facile colligitur.

### MEMBRUM SECUNDUM

#### De Urbanitate.

##### *Thesis 1.*

Urbanitas est virtus moralis mediocritatem observans in ludis & facetiis, quæ in conversatione jocosa accidunt.

*Εὐθεσίς.*

§. 1. Urbanitas ita dicitur ab urbe, quod homines in ea civiliores & comptiores, quam in pagis, ubi Corydones & Dromones. Græcè ἐυτραπέλια, quasi festivitas, seu morum flexibilitas, quæ sese ad aliorum nutum accommodat. Quanquam vox Græca quandoq; in malam partem pro opposito virtutis, nempe scurrilitate accipitur; quia tamen apud Philosophos propriè pro eo habitu morali sumitur, qui in jocis & facetiis justum observat modum, meritò ea significatio retinetur, & quasi εὐτροπία intelligitur.

§. 2. Accipitur nonnunquam pro insita quadam festivitate naturæ humanæ: sed eo modò hic non consideratur: verùm quatenus habitus est, qui in joci, salibus, & ludis mediocritatē observare docet.

§. 3. Dari quandam virtutem, quæ in ludis & jocis verletur, à ratione alienum non est. Cum enim homo non sit animal ad perpetuam tristitiam creatum, licebit ipsi inter dum seria tantisper seponere, & liberali aliquo joco animum delectare, præsentim cum animo hilaris maximum momentum afferat ad vitæ & sanitatis conservationem. Ac propterea etiam inventa est virtus, quæ affectus nostros circa jocos moderetur, ne, cum hic quoq; duo præcipitia objiciuntur, in alterutro eorum impingamus.

##### *Thesis 2.*

Objectum Urbanitatis sunt joci & ludi, omniaq; delectabilia.

B

*Εὐθεσίς*

*Eugeōīc.*

§. 1. Versatur urbanus & circa jocum & circa lusum: atque in eo  
imprimis observare debet, quod Cicero ait lib. I. officiorum: neq;  
enim ita generati à natura sumus, ut ad jocum facti esse videamur, sed  
ad severitatem potius, & ad studia quædam majora arg<sup>g</sup> graviora. Ludo  
autem & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno & quietibus ceteris,  
tum cum gravioribus seriisq; rebus satisficerimus. Igitur ut hīc aliquod  
lumen ingenij probi eluceat, certas circumstantias vir euteλos  
observandas habet.

§. 2. Jocum quod attinet, respiciat I. personas, ut jocetur cum viris  
sibi æqualibus & notis: Non enim convenit juvenes cum senibus ut  
misceant jocos. II. suum ipsius sermonem. Non offendat auditores  
scandalum, ut sit in lascivis & obscenis jocis: non inciteret ad rixas, ut  
sit acutis & contumeliosus, sed oblectet si nul & erudit, id quod sit li-  
beralibus & honestis. Hinc recte Seneca: Sales sint sine dente: joci  
sine levitate, risus sine oachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu.  
III. Locum & tempus; ne dum alij serias & graviores res tractant, ipse  
jocos intermisceat. Hāc in re excellēt in quibusdam locis *Martialis*,  
qui sāpissimē per unum atq; alterum vocabulum ambiguum *Atticorum*  
quandam insinuat, & dicit id, quod tam en dixisse non vult vi-  
deri. Sic Cicero lib. I. offici: inquit: Est elegans; urbanum, ingeniosum,  
facetum jocandi genus, quo non modo *Plautus* noster & *Atticorum* anti-  
qua *Comœdia*, sed etiam *Philosophorum Socraticorum libri referti* sunt,  
multaq; multorum in facete dicta, ut ea quæ à Sene *Catone* collecta sunt,  
quæ vocantur ap. p̄b̄thegmata. Hāc gen⁹, inquit, s̄tempore acremissō ani-  
mo adbibeatur, homine dignum est. Sic facetum est illud, quod Laert.  
lib. 2. de Aristippo p. 91 refert, quem cum *Dionysius iratus extremum*  
*omnium in mensa collocasset, scilicet, inquit Aristippus. hunc locum illu-*  
*strem facere voluisti:*

§. 3. Lusum quod attinet; urbanus attendat i. genus lusus, ut sit li-  
berale, honestum & à viris bōnis frequentatum, quo pertinent Co-  
mœdiarum prodactio, hastarum vibratio, musicæ vocalis & instru-  
mentalís exercitatio, ludus Schachiz & similia. 2. Materiam lusus, ut  
de iis ludat, quæ citra suum vel alterius dispendium in medio possint  
relinqui. Unde *Romanus Senatus* vetuit in pecunia ludere, præterquam si  
quis certet hastā, vel pilā, jaciendo vel currendo, saliendo, luctando, vel  
pugnando, quod salutis causa fiat, *Brusonius* l. 3. c. 38. p. 433. 3. Circum-  
stantiam loci & temporis, ut ludat, quando & quamdiu convenit.

§. 4. Quæ

§ 4. Quæ omnia, si quis ipse bene observaverit & ab aliis etiam h. tri concescerit, bono jure urbani nomen tuebitur. Non enim tibi tantum ludendum aut jocandum est, sed idem jus alii quoq; debetur. Hinc qui facilis est ad jocum spargendum, non debet esse difficultis ad eundem recipiendum. Inde Aristot. Ethic. l. 4. c. 8. qui potest ἐμμελῶς σκέψας concinnè ac moderatè scommata jactere, & qui ab aliis jacta viciſſim excipit, εὐτράπελος dicitur. Sic etiam urbanus inopinatos eventus, qui in lusu præsertim usu veniunt, æquo animo ferre debet, v.g. ubi jam triumphum videbatur canere, conversâ tamen fortunâ, vincitur emergente alio, qui longiusculè à victoria abesse videbatur.

*Thesis 3.*

Urbanitati in excessu opponitur scurrilitas: in defectu rusticitas.

Ἐκδεσις.

§. 1. Scurrilitas, quam Aristot. vocat Βωμολχία, Cic. l. i. de Oratore dicacitatem, est vitium in jocando modum excedens. Hoc qui laborat vitio, scurra nominatur, & muluis modis exorbitat. 1. Est ἥπαν τὸ γελόις, succumbit ridiculis, cum iis non possit resistere, faciliusq; flammam in ore ardenter opprimat, quam ridicula. 2. scurriles jocos teneat. 3. non jocatur nata λογον. 4. ob ejusmedi impotentiam, negoq; sacris abuti veretur, negoq; iuxpiā & obscena dicere, nec alios, quos asperioribus dicterioris perstringit, offendere, negoq; ipse pati & musitare recusat, quæ indecora sunt, dummodorismum moveat. Hoc vitium in parasitis & servilis ingenij hominibus admodum frequens est. Unde Arkesilaus Βωμολόχῳ cuidam dicebat, obscena nati servorum loqui solent, referente Laert lib. 4. & Cic lib. 2. de Orat inquit; Scurrē proprium est, in omnibus risum querere, qui est tenuissimus ingenij fastus.

§. 2. Rusticitas, quam Græci ἀγρινία vocant ab agro, in cuius incolis, ad elegantiorem vitam minus assuefactis, ut plurimum reputatur, est vitium quod nec jocari potest, nec aliorum jocos ferre. Hoc vitio qui laborat, Græcis ἀγρος agrestis, σκληρὸς durus, ψυχεὸς frigidus, σφυρὸς acerbus, Latinis, inurbanus, insulius, morosus nominatur. Vel 1. quia obturato quasi gutture, veluti statua hilaritatem aliorum intuetur, nec aliorum facetias, quantumvis elegantes, ferre potest. Vel 2. Impotens est simile quid, etiam ubi occasio jusserrit, in medium afferendi. Et talis homo ad conversationem minus idoneus est, sed omnia iastar Davi Terentiani turbat, vel unico verbulo læsus Deorum Dearumq; implorat auxilium, cyathos confringit, tumultuat, vociferat. Igitur hoc vitium magis reprehenditur, quam scur-

tilitas, cum præsertim requies & ludus ac jocus ad hanc vitam com-  
modius degendam & ad seria, cum ab otio discessum est, alacrius  
capessenda necessarius sit. Aristot. l. 4. Eth. c. 8.

## QUESTIONES.

### Quæstio I.

An urbani sic larvis se induere & Bacchanalia celebrare?

S. 1. Jocosa conversatione in tempore Bacchanaliorum multi  
celebrant larvatis pompis & personis male deformatis. Verum exigit  
ita ejusmodi planè illicita sunt, & propterea omitti debent, quod de  
facili demonstrari potest:

S. 2. I. Ab *Ethnica origine*. Ab *Ethnicismo* quæ talis nulla virtus  
prodire potest. Sed pompæ larvarum exinde originem trahunt.  
Ergo. Nam ab Ægyptiis & Indis inventæ sunt annis 200 ante Chri-  
stum natum, & à Melampo in Græciam deducæ: ex Græcia in He-  
truriam, ex Hetruria Romam tandem pervenerunt, sicut *Polydorus*  
*Virgilius lib. 2.* & *Livius lib. i 4.* progressam ejus describunt. In Græcia  
fæminæ statuam fœdam, tanquam libidinis seminarium & incita-  
mentum, per pagos cum cantu & tibia circumulerunt. In Parnasso  
monte vino repleti, cum elamore magno & tympanorum crepitū  
hoc festum celebrarunt. Romæ quidem primum fæminarum sacra-  
rium fuit, h. e. ordo, ut nunc vocant, in quem solæ fæminæ solen-  
niter initiatæ cooptabantur. Postea verò viri & fæminæ promiscue  
conjuncti teterim libidinem exercuerunt, adhibitis tympanis,  
cymbalis, & ululatibus horribilibus, inter quos promiscuae etiam  
cædes multæ factæ sunt, projectis cadaveribus occisorum in specum,  
quasi à Diis essent rapti.

S. 3. II. A bonorum morum corruptione. Quicquid bonos mores cor-  
rumpit, animosq; hominum ad libidinem & quævis flagitorum genera  
incitat, illud simpliciter improbandum est. Sed pompæ larvarum cor-  
rumpunt &c. Ergo. Major est extra omnem controversiam. Minor  
ex hactenus dictis abundè patet. Quod & ipsi *Ethnici* agnoverunt.  
Nam hoc malum tanquam lues quædam pestifera adeò grassari cœ-  
pit, ut coerceri tandem oportuerit à Marco Catone, qui apud Liv.  
dec. 4. lib. 9. ait: nunquam tantum tamq; latè patens malum in Republi-  
ca Romana cognitum est. Quicquid libidine, quicquid fraude, quicquid  
sgelere peccatum est; ex illo uno sacrario ortum est.

S. 4. III. A POENARUM HORRIBILITATE. Accidit aliquando,  
quod

quod Aulici quidam in nuptiis sub Carolo VI. Rege Gallorum, ludos nocturnos personati exhiberent. Ipsomet Rex Leonis imaginem representavit, reliquum corpus pice & resina delibutus. Hunc alij. secuti sunt larvis vestibusq; monstrosis induiti, adeo, ut semiferi cuiusdam portenti speciem spectantibus praebarent. Circulo itaq; rest: falso, pedibus plaudere, obscena item. Si id genus alia honestati continetia carmina modulari cooperunt. Quo faecio magnus è regia ad eos fit concursus. Ipse Ludovicus Dux Au-  
relianensis, frater Regis, maximo ludum vixendi studio ardenter arri-  
puit facem. & quia propè personatos eam tenuit, scintilla quedam forte  
fortuna in Regem cecidit; ex qua tanta tamq; subita & vebemens flam-  
ma exorta est, ut quartuor illorum, Rège vix incolimi servato, perierint  
miserrime. Unus eorum in proximam cellam vinariam cucurrit, atq; ibi-  
dern aqua, cerevista. & uno flammam dix extinguebat atq; uaviz su-  
am servare potuit. Teste Eamlio lib. 10. Sic mulier quedam in larvato  
habitu incedens à diabolo obsessa est, referente historia Ecclesiastica. Et  
notæ est historia de undecim larvatis saltantibus, duodecimo semper ad-  
juncto, quem nullus ex undecim agnoverat. Ex his & aliis exemplis fa-  
cile videre est, Deum hisce stultis bacchanalibus non delectari, sed  
multò magis ad puniendum incitari.

### Quæstio 2.

An Ludi scenici in Republica tolerari possint?

§. 1. R. Nonnulli hos ludos simpliciter improbant; Verum quo-  
nam in moderato illorum usu splendor urbanitatis, quæ & ipsa vir-  
tus est, manifestò apparet: ejusmodi ludi in Republica bene consti-  
tuta omnino permitti possunt, adhibitis tamen quibusdam limitatio-  
nibus & certis circumstantiis.

§. 2. Disting est I. Thēma Comicum, quod vel honestum & licitum:  
vel obscenū vilū & audītū, & proflus illicitum est. Illud comœ-  
dias facetas tragœdiasq; magnificas: hoc histrionicos & detestabi-  
les planè ludos reddit;

§. 3. II. Tempori inserviendum est, non enim comœdiæ de rebus  
profanis & ludicris conscriptæ in festis solennibus sacrīs, non ludi  
de rebus latīs & risūtō moventibus exarati, in publicis & privatis ca-  
lamitatibus in prosœnium producendi sunt: nec eo tempore, quo res  
sacræ sunt peragendæ, vel ardua alias consilia instituenda.

§. 4. III. Quantitas observanda est. Non ludendum est nimis  
sæpe & frequenter. Etenim ludi frequentes tandem histrionicos

B. 3.

corporis

corporis gestus & mores pariunt. Breviter: usus ab abusu secerendus est.

§. 5. His igitur observatis, ludi omnino concedendi sunt, quodcum personis agentibus, cum spectantibus maxime profint. Nam 1. *intellectus* illarum, qui morbo *ayvola* laborat, hac ratione corrigitur, magnamque verborum & rerum scitu dignissimarum cognitionem sibi acquirit. Omnia enim verba elegantiora, & res auditu & visu graviores in istis ludis exhibentur. 2. *voluntas*, quae *manias* & *atacias* vitio corrupta est, hoc modo juvatur, ejus appetitus ad virtutem, odium adversus vitium excitatur. 3. Juvatur *memoria*, cum in comediiis & tragœdiis res humanae per sensus menti penitus imprimuntur, & externis spectaculis altius & felicius insiguntur. 4. *lingua*, dum ejusmodi ludi timidis animum & loquendi libertatem addunt. 5. *Mores*, qui antea minus comiti erant, corrigitur & melius informantur. Hinc Romani liberos a vitiis olim debortaturi, suos servos vino ebrios in conspectum liberorum deducebant, ut fæditate hac deterriti ebrietatem fugerent ipsi. Æquè comediae medicina quasi sunt morbis præveniens venientibus, & sanans atque abstergens jam contractos.

### Quæstio 3.

An Chorea toleranda sint?

§. 1. De origine saltationis multæ circumferuntur opiniones, quas omnes recensere institutum nostrum non est. Videatur *Cælius Rhodiginus* lib. 5. lect. antiq. cap. 3. p. 160. Saltem probabo, hanc consuetudinem antiquis usitatissimam, & ab omnibus ferè populis observatam, adhuc tolerari posse, observatis quibusdam circumstantiis.

§. 2. I. Distinguendum est inter ipsas saltationes: quædam sunt in honestæ, quæ propter libidinem & lasciviam aguntur. Has in Republica non tolerandas esse constat, utpote quas ipsissimi Ethnici damnarunt planè. Hippocides Tisandri filius, cum multis aliis juvenibus Clisthenis Sicyonij filiam ambiebat: cum in convivio saltationem quædam edidisset, sublatis in altum pedibus, Pater offensus in honesto juvenis lusu, ait: *FILI TISANDRI, a NUPTIIS TUA SALTATIONE EXCIDISI*. Quædam vero sunt honestæ, quæ refocillandi & recreandi animi causa peraguntur, & nihil aliud sunt, quam apicæ & concinnæ corporis motiones, ad concentum musicum editæ. Has florentissimæ Republicæ & prudentissimi viri semper approbarunt.

§. 3. II. Circumstantiae personarum, loci & temporis observandas veniam. Etenim sint honesti & grecundi homines, qui vel solitariam quandam

quandam edunt saltationem, vel socias ducunt choreas. Fiant loco honesto, & in conspectu virorum & mulierum honestarum. Non sicut in tempore aliis laboribus & præcipue sacris destinato. Refert Cranzius cum olim turba hominum saltaret in ponte, & sacra interea negligenterentur, ponte mox rupto circiter 200 hominum in flumine periisse.

§. 4. I H. Finis saltationum attendendus est, quæ respicit vel animum ut est honesta recreatio & lætitia: vel corpus, ut moderata & conveniens corporis motio, quæ multum facit ad sanitatis conservationem, vitiumq; confortationem: vel ad utrumq; pertinet, ut occasio declinandi ebrietatem. Hinc Elector Saxonie constituit tit: Bonvordenlichkeit tanzen: daß sie züchsig und schamhaftig geschehen. Tansen ist vor alters zu ehlicher ergehligkeit in freydt/vetrenlich des jungen volks gehalten worden. Ex quibus omnibus manifestò constat, choreas quasdam omnino licitas esse, & non nisi rusticos Dromones & Corydones, qui ad morum civilitatem mindis assuefacti sunt, vel Melancholicos planè & decrepitos senes ab iisdem & id genus aliis jocofis rebus ab horre.

### MEMBRUM TERTIUM

#### De Veracitate.

##### Thesis I.

Veracitas est virtus moralis, mediocritatem observans dicendæ veritatis in rebus, quas corde sentimus, vel bisq; & actionibus profitemur.

##### Eusebius.

§. 1. Hæc virtus Græce dicitur ἀληθεία, quasi μὴ λανθάνον, quod latere non possit, sed etiam depressa ad palmæ instar, magis se emerget & extollat. Quod etiam respicit illud Senecæ in Troade: *Veritas nunquam latet:* & illud Tertulliani: *Veritas nihil erubescit, nisi abscondi.* Latinè appellatur veritas & veracitas, Sinceritas & candor, fides & integritas.

§. 2. De notionum varietate multa dicere opus non est. Enimvero non logice, non metaphysicè agitur hic de veritate, sed Ethicè, prout est congruentia cordis & oris. Nam necesse non est, ut sermo semper cum re ipsa, sive cum objecto remoto congruat, quemadmodum veritas Logica requirit: sed sufficit, si convenienter cum animo, sive cum ipsis proposito: quæ appellatur veritas Ethica, quæq; nihil aliud est, quam convenientia sermonis & aliarum actionum cum animi proposito. Signa vero, quibus aperiuntur animi cogitationes, sunt plura: præcipuum est sermo & quæ illius vicem gerunt, ut est scriptio & id genus alia.

##### Thesis

*Thesis* 2.

Objectum sunt res, quas corde sentimus, verbisq; & actionibus proferre debemus. *Ἐγέρσις.*

§. 1. Aristoteles dicit lib. 4 Ethic. cap. 7. 9. quod hæc virtus versetur περὶ τὸ ἀληθὲς ἐν λόγοις καὶ περίεστι. h. e. circa verum verbis aut factis ita expressum, ut in his nihil fictum aut falsum inveniatur. Alij dicunt, quod objectum ejus sit conceptus in animo delitescens, quatenus nimirum significandus est: atq; ita respectus ille inter conceptum animi & signum externum ipsi rectè respondens dicatur veritas ethica. Res eodem recidit cum nostra thesi.

§. 2. Circa hoc objectum ita versatur verax, ut verum vel aperiatur vel operiat, si per honestatem ita licet. Itaq; in hoc objecto rectè dirigendo sequentia erunt observanda.

§. 3. In aperiendo sensu animi ita se gerat, ut cùm in dictis, tūm in factis, quod verum, consecetur, non alterius rei gratiâ, sed solius honestatis intuitu. Unde apparet veritatis nomine non censi posse, qui non ex proætisi seu proposito animi, sed depositi vino, vel alia causa inducti aliquid profitentur. *In his enim non lingua voces, sed vinum protrudit.*

§. 4. In operiendo autem sensu animi ita se gerat, ut sibi fideliter commissa, quantum per honestatem licet, reticeat atq; abscondat. Non minor enim virtus est cum ratione tacere, quam tempestivè loqui. Unde etiam virtus mutato titulo *Taciturnitas* appellatur.

§. 5. In utroq; verax sit oportet οἰκεῖος καὶ αὐθέκαστος. h. e. justus, qui solius veritatis amore, non lucri aut commodi privati causâ omnia facit vel dicit: quiq; non saltem propria, sed etiam aliena, bona simul & mala, ingenuè profitetur, nec in aliorum gratiam ab ingenio recedit. Aristot. l. 4. Ethic. c. 7.

*Thesis* 3.

Veracitati in excessu opponitur arrogantia, in defectu dissimulatio. *Ἐγέρσις.*

§. 1. Utroq; huic vitio generale oppositum est mendacium pernici-  
fum, quod ex malignitate & cum intentione fallendi commititur, vel addendo aliquid vel detrahendo.

§. 2. Gradus hujus mendacij sunt in excessu jactantia, Græcè αἱα-  
ζονία, quando quis plus dicit, quam verum esse novit. Et talis jacta-  
tore est, qui de se ea, quæ scit esse falsa, prædicat, vel ob meram vani-  
tatem, vel adipiscendæ gloriolæ causâ. Hoc mendacium commit-  
tunt

tunt gloriosi Thrasones, qui ea jactitant, quæ utrum vera necque sint, alij scire non possunt. De hoc vitio Cic. lib. 1. offic. ait: *deforme est, de seipso predicare falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.* Unde etiam Aristoteles monebat suos, ne se vel nimium laudarent, vel vituperarent: *laudare enim seipsum, vani: vituperare, stulti est.*

§. 3. In defectu est *Dissimulatio*, Græcè *εἰργεία*: quando quis minus dicit, quam verum esse novit. Et talis dissimulator est, qui negat ea sibi adesse, quæ aliis sunt cognita, idq; ideo, ut dum se extenuat, modestiæ laudem majorem consequatur, cum interim longè alter de se sentiat, aliudq; captet: *Hujus ordinis exempla sunt Lacedamony, in vili ueste superbientes, Atheniensium reliquerumq; Græcorum in uestitu munditiem contemnentes.*

§. 4. Utrumque vitium quis non tantum ratione sui, sed respectu aliorum quoq; nonnunquam committit Nam jactator etiam est, qui aliis plus ascribit, quam novit ipsis convenire. Sicut liter simulatione & depressione utitur quis interdum non tantum de se, verum de aliis etiam, quando ea, quæ alteri debentur, ipsi per calumniam detrahit.

### QUÆSTIONES.

I. Num deceat virum probum simulare aut dissimulare?

§. 1. Rx Simulatio in abstracto considerata est actus indifferens, quo quis sermone vel facto aliud significat quam ipse secum intendit, unde fieri potest, ut simulatio quædam sit licita, quædam vero illicta. Quod ipse Aristot. afferere videtur, quando ait lib 4. Ethic. c. 7. καὶ ἀντὸν μὲν ψεῦδος, Θαῦλον καὶ ψευτὴν, mendacium per se est malum & vituperatione dignum. Ubi addit καὶ ἀντὸν, quia fieri potest ex accidenti, ut non sit malum & culpandum.

§. 2. Illicita est, qua quis vel ex nuda ingenij levitate & temeritate aliud præ se fert, ab eo, cuius sibi conscientia est, quo pertinent bacchanalia: vel etiam ex dolo malo sub bono prætextu alium circumvenire cogitat quemadmo lute Joab pernicieem intendens osculo utebatur.

§. 3. Licitæ simulatio est, quæ sit ex dolo bono, qui nihil aliud est, quam catum consilium, quando quis salvâ Dei gloria vel sibi ipsi vel aliis prædelle conatur. Et hæc distribui potest in cautionalem & doctrinalem.

§. 4. Cautionalis est, qua quis salvâ Dei gloriâ & justitia sibi vel aliis caver per consilium aliquod flexuofsum. Hujus exemplum ex profanis suggerit nobis Papirius apud Gellium lib. 1. cap. 21. qui matri scire

C

volenti,

volenti, quid in senatu Patres egissent, & violentius querenti, falso respondit, deliberationem habitam, utrum videretur utilius, unusne duas uxores haberet, an una duobus nupta esset? Huc etiam pertinent strata gemata bellica, que sunt consilia flexuosa, inventa & suscepta pro salute Reipublice ad hostis publici oppressionem. Quod tamen eatenus valet, si bellum susceptum justum sit.

§. 5. Doctrinalis est, qua quis citra Dei contemptum vel probat alium vel decipit, ut erudit & ad suam ipsius salutem adducat. Huc pertinent Poëtarum Mythologia. Unde Aristot. inquit: Poëtae multa mentiuntur. Possunt & huc referri examina & discursus Academicis.

§. 6. Hactenus ergo constat, quatenus liceat simulare, & quatenus sit interdictum: quodq; simulatio illicita, & illud demum mendatum sit propriè dictum, quod alias perniciosum vocant, quod vel ex vanitate ingenij, veletiam cum intentione fallendi in perniciem alterius committitur.

### Questio 2.

An aliquis mentiri possit, qui verum dicit: & verax sit, qui falsum & mendacium dicit?

R. §. I Contradictorium hoc prima fronte apparet aliquem mentiri posse, qui verum dicit: & porro, veracem esse, qui falsum & mendacium dicit. Igitur ad meliorem questionis intellectum notentur sequentia.

§. 2. I. Aliud est mendacium dicere, aliud mentiri. Mentiri est quā si contramentem, h.e. contra id, quod mens tanquam verum novit, aliquid preferre, & sic propriè mentitur, qui re benè cognita nihilominus aliud dicit, quam cogitat. Mendacium à menda h.e. errore derivatur, & ita mendacium propriè dicit, qui ipse fallitur, cum credat se verum dicere.

§. 3. II. Aliud est vera loqui, & aliud veraciter loqui. Veraciter loquitur, qui dicit ea, quæ cum animi sui sensu convenient, etiamsi rebus ipsis non sint consentanea. Nam rerum practicarum bonitas censetur ex proæfesi sive proposito animi, quod cum hic sit simplex atq; dolimali expers, tametsi error sit circarem externā, nihil veracitati detrabit: sicut & Aristot. lib 4 Eth. c. 7. inquit: οὐ τὴν δύναμιν ὁ Ζεὺς οὐ πέντε, αλλ’ τὴν τρεχαγέσσι, νοτὰ τὴν εὖν γό τῷ τοιόσδε εἴναι πέντε Ζεὺς.

§. 4. III. Aliud est verum & falsum logicum & Ethicum. Verum logicum est rerum & verborum congruentia, non habito respectu ad proferentem. Verum ethicum, cùm insuper habetur respectus ad proferentem, & sic fieri potest, ut quis ethicè verum dicat, & tamen logicè

logicè mentiatur. Et contra: Logicè verum dicat, & tamen Ethicè  
mentiatur, v. g. si quis dicat ignem elementarem dari sub concavo Lune,  
idq; in corde credit, verūm ethicè loquitur, at falsum logicè dicit, juxta  
quosdam Philosophos. Sic contra si quis dicat, Antipodes dari, verum  
dicit logicè, quia vero hoc ipsum, quod dicit, non credit, nec verba cum  
corde consentiunt, Ethicè mentitur.

*Quæstio 3.*

An veritatis confessio semper & ubiq; sit necessaria, an vero  
aliquando occultari possit?

§. 1. Rx Quæstio hic non est de religiosa veritate, seu quæ pertinet  
ad fidem & religionem, de qua Theologi agunt, verūm de veritate  
politica, quæ in rebus politicis & prof. nis locum habet.

§. 2. Distinguendum hic est 1. Inter personas veritatem postulan-  
tes, & 2. Inter veritatem quæstiam & non quæstiam.

§. 3. Si non postulatur, dissimulari & reticere potest veritas. Non  
enim opus est, omnes scire ea, quæ tu nosti. Illud modò observetur, ne  
dissimulatio illa pugnet cum honestate, aut vergat in perniciem Rei-  
publicæ: ut si quis sciret proditorem patriæ, etiamsi non interrogaretur,  
tamen id propter salutem publicam, quam semper se promoturum jura-  
vit, reticere non debet.

§. 4. Si vero postulatur, tum considerandum est, utrum quis ad  
eām dicendā alicui sit obligatus, vel non: si est obligatus, tunc eām  
occultare non debet, v. g. si Magistratus interrogat privatam personām  
de facto, cūjus accusatur & rea est: vel monet privatam, ut testetur de  
iis, quæ scit, vidit, vel audivit: & si ista interrogatio cedat, vel in salutem  
Reipublicæ, vel in commōdum proximi, veritas dissimulari nequit.  
Si quis autem ad silentium & taciturnitatem est obligatus, tum alij  
petenti veritatem, propalare eandem non debet: v. g. si persona pri-  
vata curiosus interrogaret consilium, quid decretum sit in consessu  
publico: dissimulanda potius, quam palam edicenda est veritas.

§. 5. Quod si autem quispiam nullo modo negat ad silentium negat ad  
veritatem proferendam est obligatus, v. g. si persona privata ex priva-  
ta querat aliquid: tunc videndum, utrum querenti proficit & proximo  
non noceat. Quod si res illa querenti prodest & proximo non nocet,  
veritas celanda non est: quod si autem res securus habet, tum veritas  
potius dissimulanda, quam aperienda est. Plura vide apud

B Meisnerum in prima parte Phil. Sobriæ, sect. 2.

c. 2. q. 6. p. 506.

*SOLI DEO GLORIA.*

Privigno suo instar germani filij dilectissimo de Virtutibus  
Homiliticis disputaturo publ. divinam gratiam  
comprecatus ex animo.

Qui proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit quam proficit.

**D**eficit, in studiis bene qui stadia ampla peregit,  
Nec cultu morum comior esse solet.

A pietate, locum morum sibi gratia primum.

Vendicat, hos sequitur Sedulitatis opus.

Sat bene, divinum tibi Numen nocte dieq;

En exoratum, ritè precatus habes!

Moribus an operam naves, sunt munera mentis,

Hæc συζήτησις docta docere valet.

Grator primitias, aures largire monenti,

Sic in Te, ac rebus stat mea cura tuis.

Sic pius, & morum studiosus, sedulus arte:

Sic Te, Sic Summi præmia summa manent.

fudit

Jacobus Weller D.

---

Fürchte Gott/ erwart der zeit/

Auch aus kindern werden Leute.

**S**ic est: egregiam laudem, MARTINE, mereris;

O animi semper portio certa mei.

Vix annos ter sex natus, sit gratia JOVÆ!

Indolis in lucem nobile prodig opus.

Surculus illustres si fert insertus in ulmo

Fructus: quos arbor factus opima dabit?

Nec dubium est: sacrâ prognatus es Arbore ramus,

Et Patrij plantam sanguinis intus habes.

Quin & WELLE RI pietas atq; enthea virtus

Effundit succum de locuplete sinu.

Attrahere nunc succum: donet DEUS incrementum!

Qui nos pulvereâ sorde levare potest.

Sic tandem Patriam recreabis: & ampla sequetur

Erux, capitis docti perpetuale decus.

Ita suo Discipulo gratulatur ὄλοψ χως

M. Johannes Schindlerus Chemnic.

SS. Theol. Stud.

F I N I S.

05 A 1442

**ULB Halle**  
003 781 666

3



VDM





### Farbkarte #13



215.  
digi. 20

$\Sigma\mu\tau\omega\theta\varepsilon\omega$   
Exercitatio Moralis  
*De*  
**VIRTUTIBUS**  
**HOMILITICIS,**  
*Quam,*  
*In Alma Wittebergensium Academia,*  
*Sub PRÆSIDIO*  
*Reverendi admodum, Clarissimi atq; Excellentissimi Viri*

**JOHANNIS SCHARFFII**  
ss, Theol. Licent. Logices, Metaphysics nec non Moralium Prof.  
Publ. Celeberrimi, Præceptoris & Promotoris sui  
æternum colendi,

*Publicæ evulgantia subjicit*

**MARTINUS GRAEFFENTHAL**

Wittebergensis.

*Ad diem 19. Februarij*  
*In Auditorio Majori*  
*Horis antemeridianis.*

\*\*\*\*\*

**WITTEBERGÆ**  
Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.  
Anno MDC XXXX,